IN RESTITUTAM REGI VALETUDINEM AC PROSPEROS BELLI SUCCESSUS

ORATIO GRATULATORIA,

HABITA UNIVERSITATIS NOMINE,

in Exterioribus SORBONÆ Scholis,

Die Jovis tertiâ mensis Decembris, anno Domini 1744,

A CAROLO LE BEAU, Rhetorices in Grassinæo Professore.

Et Universitatis jussu edita.



PARISIIS,

Apud THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Parisiensis Typographum, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLIV.





IN RESTITUTAM REGI VALETUDINEM AC PROSPEROS BELLI SUCCESSUS

ORATIO GRATULATORIA.



UOD acerbissimæ calamitatis depulso metu primum ac præcipuum fuerat, ut Supremo Regum populorumque Dominatori, ob LUDOVICUM & Regno & Europæ restitutum, gratias ageremus, ILLUSTRISSIME SENATUS PRINCEPS, ILLUSTRISSIMI PRÆSIDES INFULATI, INTEGERRIMI SENATORES, VIRI OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI; id abstersis vixdum lacrymis, ardenti omnium studio, damnata voti, persolvere properavit Academia Parisiensis; cæteras


inter non antiquitate magis ac ſplendore, quàm ſuorum erga ſe Regum, ſuo erga Reges amore facilè Princeps. Nunc ubi concentus ille gratulationum conticuit, jam quietis auribus veſtris, ipſius decet exaudiri vocem; quæ ad hunc tandem locum reſervata eſt, ut non repentino quodam gaudii levioris impetu concitata, ſed ex infixâ penitus, quæ nunquam deferveſcit, caritate profecta intelligatur.

Multo quidem ac magnifico ſpectaculorum apparatu tota latè Gallia decorata eſt: geniali incendio colluxere domus; ſtellantes per noctem vias illuſtravit conſcripta flammis publica privataque gratulatio; lætitiâ exarſit aër; Urbes ludis, choreis, cantibus perſonuêre. Sed, audacter dicam, AUDITORES, ecce pandimus hodie vobis ſpectaculum omnium longè pulcherrimum ac jucundiſſimum: & Regium & veſtrum pectus explicare mihi propoſitum eſt. Quid vobis hâc ancipiti ſcenâ ſuavius, ubi, quòcumque circumſpectetis, nihil niſi magnum, verum, ac perpetui ſplendoris, in vobis fidem, reverentiam, admirationem, amorem, in Rege juſtiſſimas tantorum affectuum cauſas fonteſque videatis.

Quanquam autem veſtra ſingularis in LUDOVICUM voluntas nullâ eloquentiæ copiâ æquari poteſt, tamen oratio nemini defuerit de Gallorum in Regem ſuum ſtudio dicenti. Ecquæ gens enim cum Regibus ſuis conjunctior eſt, non poteſtatis metu, aut parendi neceſſitate, ſed ſanctiſſimis vinculis animorum? Alibi plerumque emenda

Regibus eſt caritas ſuorum; hîc hæreditaria naſcentibus obvenit: alibi Reges imminent cervicibus; hîc ſedent in animis: alibi bona malaque Regum vix à populis ſentiuntur, vacuo inter utroſque intervallo; hîc quæcumque Regi accidunt, uno tenore pertingunt ad univerſos. Neque injuriâ apud omnes terrarum populos gloriari poſſe mihi videmur, cùm à paternâ majeſtate ortum ceperit Regia Majeſtas, Regnum apud nos à primâ origine quàm minimùm degeneraſſe; cùm omnis Gallica Gens una quædam Familia ſit, Principemque non tam ut Regem vereamur, quàm ut Parentem colamus.

Quid nuper in LUDOVICO, quid in Gallis effecerit mutua illa caritas, exponendum ſuſcipimus. Cauſam agimus gratioſam apud vos, imò veſtram. Oſtendemus eſſe in LUDOVICO, cur tali Rege gaudeamus; Gallis, cur LUDOVICUS talibus populis gaudeat, non deeſſe. Et Regem, & Gentem, quos ſejungere propè nefas ſit, cùm auſa non ſit ipſa vis fati, una laudatio complectetur. LUDOVICO Galli quantum debeant, hoc primum; quantum reddant, hoc erit alterum caput. Quòd ſi nihil dignum re, dignum auribus veſtris afferre vobis videbor, commendet apud vos dicentem ipſa ſuavitas argumenti; nec magis nunc meam Orationem, quæ res tantas aſſequi minimè poteſt, quàm amoris erga Regem veſtri, quo nihil eſt eloquentius, tacitam quæſo vocem audiatis.



PARS PRIOR.

QUEMADMODUM Reges alicui Provinciæ obirati, ex numero præfectorum eum mittere præcipuè solent, qui ad severitatem à naturâ factus in formidine & armis vim omnem imperii reponat; quos verò è suis maximè amplectuntur, eos placido & clementi præpositorum ingenio beare student: ita summus Arbiter Regnorum, qui depromptas velut è sanctioribus thesauris Regum animas, potentiæ suæ legatos quoquoversum dimittit, quos mortales punire decrevit, iis Reges imponit ferreos ac tumentes spiritu bellorum; quibus verò indulgere benigniùs, iis Principes elargiter pacificos ac divinâ mansuetudinis indole temperatos. Ecquid enim potest cuiquam genti contingere felicius, quàm REX studiosus tuendæ pacis? Ecquid inquieto Rege ac bellici tumultûs avido damnosius? Alter suorum funeribus mercatur victorias; ipsos laureatos quidem reducit, at iisdem ambustos fulminibus, quæ emiserunt; alter victoriæ fructus populis suppeditat, nullâ clade, nullo gemitu emtos: ille suos non pascit nisi cædibus, non vestit nisi spoliis, periculorum venator; hic suo vellere onustos, succis salubribus & opimo lacte enutrit, Pastor beneficus.

Neque tamen ita diligens custos salutis est, ut ullam gloriæ labem aspergi sinat, suis amabilis, terribilis hostibus; qualis Titus, Trajanus, Marcus Aurelius, deliciæ sui

quondam ſæculi, aut noſtri LUDOVICUS. Hic enim ſuorum & pacis, & ſalutis, & decoris ſtudio fecit, ut quemadmodum ſibi nihil ad gloriam, ita nihil nobis deſit ad felicitatem.

Natus in ipſo diuturni belli ardore REX AUGUSTUS, at pacis ferè ſtatim exceptus ſinu, altricem hanc ſuam quàm ex animo colat, per viginti propè annos, quibus in dulci otio conquieviſti, Europa ſenſeras. Eam deinde vi temporum avulſam ſibi quàm cupidè retraxerit, non ſine admiratione teſtis fuiſti; cùm ipſe ſibi modum ſtatuit proſperarum rerum, exultantemque victoriam ac dulcibus blandimentis ad ſe pertrahentem in medio curſu repreſſit & juvenis & felix. O te, Europa, fortunatam, niſi in eos te fluctus, unde LUDOVICI moderatione emerſeras, rurſum conjeciſſent ſpiritus ingentes illius domûs, quæ Galliæ ſæpe infeſta, diu colluctata cum Regibus noſtris, convulſa tandem fato rerum humanarum, id in ipſo occaſu viſa eſt meditari, ut ex inclinatis caduciſque ſtirpibus reſurgeret major, lætiorque revireſceret. Sed quoniam eâ ſorte nata eſt Auſtriacà domus, ut adverſus ſuos omnes impetus Galliæ Reges oppoſitos habeat, venit laborantis Germaniæ ſubſidio LUDOVICUS: ſocium Imperatorem, quia jus nihil poterat, armis adjuvit; ne præceps è ſolio, in quod legitimè evectus eſt, exturbaretur Princeps magnanimus ac verè Patriæ Pater: quippe inter cineres ac rudera deſtitutus, eo ſe digniorem Imperio gerit, quàm qui eum bello perſequuntur, quòd illi per

Patriæ incendia & ruinas alienam coronam petant; hic Patriæ causâ vel certiſſima etiam jura deſerere paratum ſeſe oſtendat. Tam pium juſtumque bellum qui ſuſcipit, utrum is frangere pacem, an fractam ab aliis reſtituere, ac depulſis injuriis ſtabilire velle dicatur?

Verum quæ tanta vis coegit te, LUDOVICE, ut è conſpectu civium ad arma te proriperes, & cariſſimum caput cæcis belli periculis objectares? Nonne conſiliis tuis quàm obtemperantem ſe victoria præberet, quàm fideliter vel abſentis auſpicia ſequeretur, jam priore bello expertus eras? Nonne cùm adhuc tibi integrum eſſet, utram vincendi viam inire malles, ſatis ampla tibi ad gloriam videbatur Caroli inter Reges noſtros Quinti ſapientia; qui caſtrorum expers, otioſus manu, mente actuoſus, exercituum habenas è longinquo tenens, in mediâ regni ſui ſtatione poſitus, inde copias, inde conſilium ac fortunam ſuam mittebat, quæ ſterneret infeſtas arces, eoſdemque qui nunc ferociter minitantur, Anglos profligaret? Quæ te res igitur in pulverem, in cædem, in ipſum ſtridorem mortis abripuit? caritas tuorum. Hæc ſingula LUDOVICI veſtigia ſingulis benignitatis ejus erga ſuos monumentis inſignivit.

Duriſſimæ militiæ curas duobus ab annis paternâ ſollicitudine cum ſuis partitus, eo plus periculi ſuis deceſſurum ratus, quo majorem ipſe partem ſibi capeſſeret, ex dulciſſimæ familiæ retinentis, ex dilectiſſimi DELPHINI toto animo affectantis amoribus eripit ſeſe & ad bellum erumpit.

erumpit. Sequuntur pacificæ virtutes, quæ fortitudinem humanitate mitigent, leniantque victorias. Quale fuit illud iter, quàm omni triumphali pompâ gloriosius, cùm nullo ferè apparatu, comitatu nullo, imò longè pulcherrimo, suorum omnium stipatus animis, per instructas vias ordinibus virorum mulierumque, undique ex agris, ex oppidis effusorum, inter vota ac preces & laudes pergeret: illum sibi propugnatorem, illum parentem: ducem ipsum esse velle liberis suis, qui militarent; eorum intuiturum manus, sanguini parciturum: iret felix; maturam ex hostibus victoriam referret; atque ut in manu gloriam, sic in capite suo salutem gentis ferre sese meminisset! Hunc mirabantur, hunc sequebantur oculis, hunc parvis liberis ostentabant; hujus nunquam delendam imaginem læti & spe pleni ad penates suos referebant; belloque & hostibus agebant gratias, quòd serenum os, & amicos blandæ majestatis nutus videre sibi contigisset.

O præclaram, ô paterno sensu imbutam, ô Regum omnium palatiis imò pectoribus inscribendam vocem, quam ex ore LUDOVICI Valentiana excepit, Gallia tota sibi dictam arripuit! Cùm circa eum trepidarent cives, eum frequentiâ suâ premerent, ipsi se proximum quisque esse certaret; summoveret unus ex amicis Regiis, & cupidioris fortasse pietatis molestiam repressam vellet; sine, accedant, inquit LUDOVICUS; mihi non possunt esse mei quàm satis est propiores. Rectè tu quidem & verè, REX OPTIME; neque enim periculum est,

ne nimiâ tibi propinquitate molesti sint, quorum in cordibus habitas, quos ipse in corde geris.

Sed erga nullos clariùs enituit LUDOVICI humanitas, quàm erga milites, quibus, cùm animam REGI suam oppigneratam habeant, REGIS quoque caritatem peculiari jure deberi existimavit. Hîc juvat me, AUDITORES, subsequi LUDOVICUM militares cellas ac tentoria subeuntem, audire interrogantem blandiùs, cibaria gustu explorantem intueri. Integrum vult esse militum sanguinem, quem ipsum Patriæ sanguinem putat; solidas eorum vires, quos velut Imperii nervos flectit ipse ac movet. Quàm exquisitæ militibus gregales epulæ videbantur, quas REX præsentiâ & alloquio condiret! Quàm jucundè sapiebat panis ille castrensis, REGIS pertractatus manu, ore prægustatus!

O Reges, quorum pectus eâdem, quâ LUDOVICUM bonitate natura non imbuit, sublimi Majestatis fastigio subnixi, alieni ignotique vestris, quorum oculis officit perpetuò vobis circumfusa lux, supra Populorum capita in secluso remotoque loco procul habitantes; eam verò captatis felicitatem, quæ quo solitaria magis, hoc angustior est. Quænam maximæ sint vitæ Regalis deliciæ, nescitis. Percontamini REGEM nostrum, quàm dulce jucundumque sit dare se familiarem suis, eorum gaudia gaudere, eorum etiam indolere ac mederi malis; qui vel ipse dolor molliter affluit ad animum mirabili quâdam dulcedine miserationis. Conspicite LUDOVICUM in

iis receptaculis morborum, quorum vel odorem averſetur faſtidioſa privati alicujus mollities, inter militum in ſtratis jacentium ordinès, in gemitu, in conſpectu vulnerum & curationum, in ipſo vicinæ mortis halitu verſantem. Explorat omnia quæ ad ſalutem conferunt; ſciſcitatur, conſolatur, adhortatur, aurum aſpergit vulneribus. Et erat in LUDOVICI vultu efficacius quàm in ſtrenuis maximè remediis ad maturandam ſanitatem adjumentum: ſpirabat ex ejus ore ipſa ſalus, quæ vim inſuetam medicamentis adjiceret: eo ipſo minuebatur dolor, quòd eum REGI quoque acerbum eſſe ſentirent: nec tardas convaleſcendi moras opperiebatur alacritas ſtudiorum; nihil ipſis longius videbatur, quàm dum ad nova certamina, ad nova vulnera properarent; vitam etiam paternâ REGIS curâ ſibi redditam ipſi quàm primùm impenderent. Ecquis autem talibus Militum animis tres Urbes munitiſſimas paucorum dierum intervallo expugnatas admiretur? Jam enim à Regiæ benignitatis commemoratione ad LUDOVICI fortitudinem bellicoſque ſucceſſus me rapit ardor ille militum, quem humanitate ſuâ incenderat.

Eloquere Flandria, fatalis area bellorum, in ipſo bellicoſorum Populorum concurſu poſita, cruore pinguefacta, horrida munimentis & arcibus, cujus campi plura propè prælia quàm meſſes numerant, ſæpè conſepulta cineribus & ad nova incendia citò reſurgens, virtutis tot Regum Ducumque, quorum facinora vidiſti, peritiſſima ſpectatrix, eloquere, ecquem unquam Imperatorem con-

ſpexeris, in ſuſcipiendo celeriorem, audaciorem in agendo, in vincendo clementiorem. Nondum caſtra, nondum obſidia viderat, & jam in re caſtrenſi, jam in obſidiorum ratione nihil concedit exercitatiſſimis Ducibus: vel primo aditu nihil tironis habet, præter nimis generoſos audaciæ impetus; eorum, quæ ad bella pertinent, ignorat nihil, præter periculum. Dum hoſtes conflatum ex diverſis Gentibus corpus diductum disjectumque magnâ mole colligunt; dum in ipſo conſilio, in ipſo apparatu trepidant, jam Menina concidit, jam Ypræ corruerunt. Neque LUDOVICUS ipſe capiti parcebat ſuo: ſtetit ante mœnia utriuſque Urbis bellicorum tormentorum vapore afflatus; cùm hoſtes etiam ejus audaciâ conterriti, tanto tam auguſtæ animæ pretio vincere horrerent, obſidentique magis quàm ſibi metuerent.

Emicat inter ignes conſiliorum particeps, præliorum comes, victoriarum magna pars, ſpiritus Borbonios & excelſam Proavi animam gerens, Heroum ſoboles æmuluſque CLAROMONTANUS: hunc ad Meninam, hunc ad Ypras egregiè factis inſignem quonam pacto remunerabit REX fortitudinis æſtimator magnificus? Reperit conſanguineo bellatori LUDOVICUS munus & dante & accipiente digniſſimum; tot periculorum laborumque præmium ingens; nova pericula, novos labores, novam gloriæ ſegetem: Furnas attribuit expugnandas; ſic longè pretioſiores, quàm ſi captæ traderentur.

Aggreditur urbem dux impiger, Proavi ſui expugna-

tione celebratam; gaudet familiæ ſuæ decora recognoſcere, campos illos magni CONDÆI virtute quondam inſignitos, ipſius cruore propè conſperſos; cùm acerrimus Imperator contactu mortis in ipſo illo loco appetitus, à tutore Galliæ Angelo ſervatus eſt. Eamdem CLAROMONTANUS mortem non timet; fulgurat, tonat, irruit; non ſuſtinent irruentem Furnæ, reditque ad Regem ſuum victor, ſplendidi triumphi loco ducens, quòd ad ejus coronas laurum unam manu ſuâ decerptam adjecerit.

Magna quidem illa quæ dico; & ea tamen, quæ in bellicis tuis laudibus maxima ſunt, LUDOVICE, quæ tibi fortaſſe gratiſſima, nondum attigi. Hoc enim præcipuè tuum, hoc tibi neque cum ducibus, neque cum militibus, neque cum ipsâ fortunâ communicandum, quòd qui à te obſidebantur, impoſito alieni præſidii metu urbis ſuæ poſſeſſione excluſi, te, dum hoſtis oppugnares, ſibi magis Dominum cuperent, quàm timerent Victorem; te votis, te clamoribus etiam advocarent; in clementiæ tuæ tutiſſimam arcem totâ ſtudiorum celeritate ruerent. Subigi ſe non credebant & in aliena jura pertrahi, ſed ſibi ſe ac libertati ſuæ reſtitui & in familiam adoptari tuam, dum eos Imperio tuo adjiceres. Non pœnitet eos ruinarum, per quas ſua felicitas, ſua ſalus ingreſſa eſt; tantique fuiſſe credunt hoſtem te pati, ut te Rege fruerentur.

Nec vicinas ſolùm gentes LUDOVICO conciliat egregia indoles: hæc non minùs, quàm Europæ utilitas ac juris tuendi ſtudium, felici cum eo ſocietate devinxit

Regem, ut LUDOVICO ætate ſupparem, ita & belli & pacis artibus florentem; qui ut omnia apud Boruſſos Galliæ quàm ſimillima efficiat, & paterno erga ſuos animo affectus, & ſuis carus, Muſarum, quarum inter manus adolevit, urbanitatem aſperſit ſuorum ingeniis, & ſeverâ militiæ diſciplinâ ſuos exercitus firmavit; expugnatæ Pragæ recenti gloriâ nitens; REX LUDOVICI ſœculo verè dignus, ut ad cætera utriuſque decora ingentis amicitiæ ſplendor accederet.

Sed dum Flandriæ gemitus in lætas acclamationes convertuntur, ecce ex adversâ Galliarum regione æſtuat infeſtis Auſtriacorum agminibus Rhenus; ſimulque hærentes eorum lateri belluas in Alſatiam evomit, mixtam ex omni barbarie colluviem, inaudita etiam antea nomina Nationum, è ſylvarum montiumque luſtris non ſtudio laudis, non amore regnantis, ſed ſolo odore prædæ nuper extractos, non ad vincendum ſed ad perdendum natos, quibus pro fortitudine crudelitas eſt. Jam Galliæ ſanguinem anhelant, jam inhiant ſpoliis, jam integerrimas longâ pace & ignotâ ſibi felicitate provincias ſpe & cupiditate devorant.

Quis tibi, Lotharingia, imminentem perniciem avertiſſet, quis te ex hoſtium eripuiſſet faucibus, niſi primo irrumpentium ſtrepitu excitatus Parmæ & Guaſtallæ victor præſenti animo ſubveniſſet? Quantâ celeritate diductas congregat copias! Ipſis animos, ipſis propè pennas adjicit: volat Conius fulmen Auſtriacis jam expertum ferens, atque ipſe inſtar fulminis: ſtimulat dolor, neceſſitas, ac

paventis Patriæ ululatus ; & longum iter præcipiti curſu emenſus , ſuos præ ardore irâque fatigationis expertes hoſtibus incutit : quid illo conflictu horribilius ? Cedit tandem veræ virtuti feritas ; & quos ex hoſtium numero reliquos nox fecerat, per oppletas ſtragé ſuorum vias, in cruore ſuo lapſantes aufugiunt ; ac poſt ſe relinquunt validum Galliæ munimentum.

Illa quidem tam præclara pugnâ fortiſſimum exercitum peritiâ ducis opportunè collocatum, quaſi murum quemdam Provinciis noſtris prætendebat : ſed hærebat in Alſatiæ viſceribus peſtis; ardebant omnia clade belli; fideliſſimæ Provinciæ faciem fugâ, cædes, flamma fœdaverant. O Tabernæ domus, eruditâ opulentiâ nobilis, ſplendidâ domini liberalitate nobilior ! Te ne ad illuſtria hoſpitia natam ſtabulanti barbaro militi pro receptaculo fuiſſe ! Nonne te ab inſolenti ludibrio defendere debuerat & tutela Caroli, qui vel in bello generoſæ manſuetudinis ſuæ memorem ſe præſtitit, & venerandum Germanis magni Cardinalis nomen ? Deſinite, hoſtes rapaciſſimi, deſinite & Rohannorum in Patriam amorem, & illatam vobis ad Harcurio cladem, qui vos prædæ incubantes abſtraxerat, vetitâ direptione ulciſci velle : omni magnificentiâ major Armandus ſuas opes negligit, amat ſuos, Præſul non minùs quàm Princeps : nullus ad excelſum animum dolor accidit niſi per pectora ſuorum : unius è ſuis vitam vel plurium Palatiorum pernicie vobiſcum libenter paciſcatur.

Audit conflagrantis Alſatiæ clamores in medio præteritorum plauſu, ac novorum ſucceſſuum apparatu LUDOVICUS. Quis exprimere verbis poſſit, quot Regio pectori ſtimulos nuntius ille infixerit; cùm quæcumque ſuis aut inſtarent mala, aut jam incidiſſent, unus ipſe perſentiſceret; omnium calamitates caperet unus. Ergò certam ſibi & aperto jam itinere præeuntem victoriam deſerit, ut ad ſuos tutandos procurrat. Eò parentem avocat amor, unde periculum ſuis oſtenditur.

Quanta tempeſtas ad vos provolvitur, Auſtriaci, ſi LUDOVICUS incolumis pervenerit! Quàm pœnitendum vobis in Galliæ limites tranſitum effecturus eſt! Tu verò, ô Gallia, quantum LUDOVICO debes, qui tibi totus vivens, ad te totum ſe referens, pacis ubi decet conſervator, ubi bellandum eſt & benignitatem erga ſuos retinet, & adverſus hoſtes fortitudinem induit cum lenitate conjunctam. Tantis Regis tui beneficiis quantum rependas, supereſt ut oſtendamus.



PARS





PARS ALTERA.

EA neceſſitudo eſt, conjunctioque Regum atque Populorum, ut ſuam non in ſe felicitatem utrique poſitam habeant, ſed viciſſim ab alteris alteri mutuentur. Ut ex amore Principum oritur Populorum proſperitas, ita gloria Regum effloreſcit ex eâ caritate ſuorum, quæ & mollem ſe præbeat in Principis malis, & hilarem in bonis, & habeat etiam ſuos adverſus hoſtem aculeos. Ejuſmodi pietatem vobis penitus inſidere, ô Galli, & lacrymis, & gaudiis, & facinoribus veſtris nuper comprobatum eſt, in REGIS morbo mæſtiſſimam, in ejus ſalute exultantem, in tuendâ ipſius armorum famâ animoſam, teneram ſimul & efficacem.

Erecta erat exſpectatione Europa: defixis in LUDOVICUM omnium oculis, jam illo ſidere velut icti pavebant hoſtes, ripaſque ſuas trepidi reſpectabant: jam nexis REGI ſuo coronis Gallia, ſilentio ſuſpenſa, primas victoriæ captabat auras, in lætos cantus mox erupturа. Ecce venit ad aures, & ad omnium corda penetrat de LUDOVICI morbo funeſta vox ac luctuoſior, quàm ſi multæ ſimul clades audirentur. Hoc nuntio concuſſa Gallia expalluit. Hîc mihi mentem obturbat, ac penè præcludit vocem acerbiſſimi temporis recordatio: deſcendite in animos ipſi veſtros, AUDITORES, & impreſſa penitus lineamenta dolorum, quanquam recentiore gau-

dio ferè deleta, agnoſcenda tamen, relegite. Nonne illam conſilii vim, illumvigorem animi, juventæ florem, beneficam indolem, victoriam ipſam divelli à vobis & eripi gemebatis? Nonne omnes privatarum rerum ſenſus obſtupefecerat publicus pavor? Uni LUDOVICO templa omnia fervebant obſecrationibus ac votis: ibi permixti omnes ordines, omnis ætas, affuſi altaribus, matres juxta liberos proſtratæ, modò triſtiſſimis vocibus, modò triſtiore in tantâ frequentiâ ſilentio, quod ſuſpiria tantùm ſingultuſque abrumperent, LUDOVICI ſuamque ſimul incolumitatem ab omnipotente expoſcebant; ipſa ipſa etiam egeſtas piâ mercede REGIS vitam redimere velle, & in Religionis ſinum certatim effundere victum tenuem & quotidianos ſudores. Neque diurnis angoribus finem faciebat ipſa nox: inſomnis ante aras civitas, in precibus pernoctans, divinam clementiam amicâ vi & gratiſſimo quodam obſidionis genere urgere perſeverabat.

Jam verò è templis quæ trepidatio per vicos rogitantium, reſpondentium, auſcultantium! Qui concurſus ad Nuntiorum publicorum ædes! Ubi conferti inter ſe, ad omnem auram, ad ſtrepitum omnem ſeſe circumagentes, eodem unuſquiſque habitu animorum, quo quis æger gravi morbo deprehenſus horribilem de vitâ vel morte ſuâ ſententiam exſpectat, ſtabant, animi pendentes: ut quiſque nuntius adventaret, occurſantes obviam, ſciſcitari, pertrahere ſinguli, univerſi obſiſtere, urgere ac remorari, attollere humeris; quoties hiſceret, ſollicitudine

examinati, ſalutem aut luctum avidè arripiebant. Tum emiſſa vox per omnes urbis vias, per omnes domos uno temporis puncto volvebatur, mœſtitiaque ſimul aut hilaritas, prout læta vel triſtia nuntiarentur. Ita eſt, LUDOVICE; cunctas morbi tui vices experti ſumus: hoc unum amor in te noſter attulerat diſcriminis, quòd dolores tuos minùs fortiter quàm tu perferremus.

O mors, quæ cujus pretii ſint mortales & veriſſimè arguis & ſanctiſſimè judicas; quæ perſonam Regibus, Civibus adulationem adimis; cujus fuſca licet & obſcura lux, omni tamen aliâ luce certior, Principum virtutes patefacit ſenſus que Populorum, ideòne funebrem iſtam facem LUDOVICUM inter & Gallos accendiſti, ut LUDOVICUS ſibi ferè ſuperſtes, quantùm amaretur à ſuis, Galli, quantum in LUDOVICO veræ magnitudinis eſſet, apertiſſimè cognoſcerent. Nunquam enim major exſtitit REX AUGUSTUS, ne tunc quidem cùm infeſtas Urbes omni bellorum terrore quateret, quàm dum in lecto jacuit defectus viribus ac propemodum exſpes. Illic mortem non timuerat, ſed eam omnibus famæ ſplendentem ornamentis, fulgore ſtrepituque armorum, novæ gloriæ dulcedine oculos ſenſuſque fallentem: hîc eam non reformidat, triſtem, ſilentem, inter dolorum ſtimulos pedetentim & apertâ facie adventantem. Exſolvit ſeſe è victoriæ complexibus, animo magno & erecto: quàm longo ex intervallo deſpicit & partos antea & ſperatos triumphos; quos ſic relinquere,

quàm mereri fortius eſt. Nihil jam ſupereſt REGI ; quo terris adhæreſcat, niſi amor in ſuos, cum ipſius animâ conjunctus.

At tu præſentiſſimum laboranti LUDOVICO auxilium eras vel abſens, ô REGINA, dum provoluta ante Aras, omnes omnium ægritudines in te collectas unâ Supremo Numini exhibens, totius Galliæ vota æquares tuis, & apud Deum una maximè commendares. Deſiderio exardeſcens, impatiens ſollicitudinis, madens fletibus proficiſceris, provolas, pervenis ad exoptantem. Quot ſanctiſſimi amoris ignibus illuxit ille dies, quo conjugem auguſtum jam ad vitam redeuntem amplexa, novas ipſi vires precibus tuis impetratas attuliſti ! Quantâ ſimul & miſeratione & lætitiâ perfuſus fuit adventus, cùm ille in Regina mœroris, illa in Rege doloris reliquias agnoſceret ; cùm uterque ſilens, ſuſpirans, in mutui amoris indicia erumpens, in altero totus eſſe videretur ! Utriuſque in pectore æſtuabant, in vultu miſcebantur angor, gaudium, ſpes, metus : in Rege tamen inter veſtigia dolorum plus alacritatis ; in Reginâ inter lætitiæ ſcintillas plus timoris ; & conversâ amborum vice, quæ ſolatium allatura venerat, dabat lacrymas ; qui conſolandus jacebat, blando placidoque nutu defixam in ſeſe paventemque recreabat.

Adeſt Reginæ curarum conſors, & altera etiam ipſius cura, ſubſidium Regni, lætum pignus poſterorum felicitatis, SERENISSIMUS DELPHINUS, adeſt ; & quamvis primo armorum ſonitu admonitus ſui, in domeſ-

ticæ laudis æmulationem evolare geſtiens, Parentis imperio in palatio contineatur, audito tamen & ſuo & Galliæ diſcrimine, ſui jam non compos, eò citatiſſimo curſu rapitur, ubi ſpes, ubi amor, ubi totus animus eſt. In immenſo dolore, qui pectori incubans univerſus dividi poſſe non videtur, vos tamen, ô Galli, partem aliquam habuiſtis: dum totus hæret in Patre Filius, vos quoque reſpectat, jam paterno erga vos plenus affectu, quem è LUDOVICI venis combibit; veſtrique non minùs quàm ſui in illo communis orbitatis metu miſeretur. Creſce his animis, SERENISSIME DELPHINE: LUDOVICO Regiarum virtutum magiſtro diu fruere: tam jucundas caritatis erga nos tuæ teſtificationes nunquam è memoriâ deponemus: hanc etiam pulcherrimam hæreditatem relinquemus poſteris, qui tibi diu florenti longas utinam gratias exſolvant eâdem, quâ parentem tuum, quâ te jam proſequimur, pietate.

Nimiùm hærere mihi videor in Patriæ vulnere, cujus dolorem nulla res adæquaverit, niſi gaudii magnitudo, quod reddito tandem votis fletibuſque noſtri LUDOVICO conſecutum eſt. Nunquam celeriùs per totam Galliæ latitudinem ullius victoriæ fama pervolavit. Et bonum quidem nuntiabatur omni victoriâ lætius; quippe fons victoriarum ac deliciarum pacis. Quot in formas mutari hilaritas poteſt, inter omnes animi motus maximè verſatilis, tam varias induit eadem ſub diverſâ rerum facie lætitia: fervet ludis, ſplendet conviviis, ſtridet in flammas,

carmiua ebullit; in cantus, in rifus, in fuaviffimas etiam lacrymas effunditur. LUDOVICUM omnia loquuntur; infcriptum cordibus LUDOVICI nomen in omnium ore fonat, in omnium verfatur oculis, in aëre etiam fcintillat exaratum ignibus. O fplendidæ noctes, quæ longam profperorum dierum feriem portendiftis, veftris colluftrata luminibus Lutetia unum univerfa quafi theatrum fuit, geftiens acerrimâ fimul & verecundâ voluptate! ô fortunati dies, quorum lucem incendere videbatur gaudium emicans ex animis, feftis fupplicationibus confecrata Civitas tota quafi Templum fuit! Tribus ferè menfibus Ædes Sacræ non conticuerunt, cùm primò per univerfam Galliam refonaret, mox per fingula fummorum infimorumque collegia gratulatio divideretur. Ac ne in tanto fervore ceffaret aliquod virtutis genus, quod quidem effet affine gratulationi, ad varias obeundas vices Chriftiana liberalitas non ingeniofam fe minùs, quàm ipfa hilaritas præbuit. Hîc læta & ridens pronubam agit, ac ftipe dotali novum REGI parat militum feminarium; illic vigens & valida abrumpit miferorum catenas, & ære alieno liberatos à fitu & tenebris ad communis gaudii lucem ftupentes educit; alibi velata & filens aut in publicas aut in privatas pauperum domos pleno finu deportat fubfidium morbis, egeftati, orbitati; quafi falvo LUDOVICO quemquam in Galliâ miferum effe nefas foret: lætandi genus, lætitiæ hujufce noftræ ingenio maximè confentaneum: beneficum Regem beneficentiâ coli decet: redemti LUDOVICI

pretium fuit, quidquid pauperibus summi Regnatoris Procuratoribus ac Mensariis persolutum est.

Quid LUDOVICO jam desiderandum, si ad teneros erga se suorum sensus bellicum robur accesserit? Nec verò quisquam hac parte mancam ac debilem crediderit Gallorum in Regem suum caritatem, quæ ut habet pro REGE lacrymas, sic & eas exprimit hostibus, ubi necesse est. Divisus inter exercitus tam diversos LUDOVICUS, imò ubique totus, unde aberat, ibi etiam adesse, omnium militum ciere manus, omnium animos implere videbatur.

Quanta vobis, fortissimi Milites & CONTII Ducis & vestris laboribus nobilitati, quanta incumbebat belli moles, quàm ardua, quàm multiplex! Vincendæ fuerunt & Alpes & ille REX, audaciâ & bellicis artibus vel ipsi par victori Alpium Annibali; vicistis. Neque veterano militi concedit novus miles: conclusi in dies paucos multorum annorum labores veteranos omnes fecêre: pendentes scopulis hærentesque, ubi singulis in vestigiis expugnanda priùs natura quàm cum hoste pugnandum erat, innixi alii aliis, armis non onusti sed quasi pennis adjuti, enituntur, adrepunt, evadunt: quà fugere horreret inconsultus pavor, eà rapiuntur ad hostem ipsis periculi illecebris: frustra revocant duces; signis receptui canentibus obstrepit intus gloriæ vox, & minax hostilium tormentorum fragor validiùs in adversum vocat: per abrupta, per invia irruunt in eas arces, quæ vim nullam nisi

cœleſtem formidabant : diceres Aquilas, cùm illi ex imis vallibus ſeſe efferunt; Leones, cùm obſtantia disjiciunt; fulmina ac procellas, cùm in ſummo vertice tonant immixti ipſi procellis ac fulminibus. Tales eos eſſe oportuit, ut rapidos Ducis impetus ſequerentur.

Referebat ipſis LUDOVICI imaginem, ut ſanguine, ſic humanitate, liberalitate, fortitudine LUDOVICO proximus, dux, commilito, contubernalis CONTIUS : decorâ familiaritate erigit ad ſe infimorum animos; nihil ex prædâ ſibi vindicat, niſi militum amores. Ecquid impervium militi, quò CONTIUS antevolat? Ecquid inſuperabile, quod CONTIUS primus aggreditur? Quantus ipſis, quàm terribilis apparuit, cùm ab hoſte & acri & ſolerti, duplo majoribus copiis ſuccincto laceſſitus, totum Martem & vultu & animo ſpirans, ſanguine ac pulvere perfuſus, confoſſis duobus equis, bis pertusâ loricâ, per ſtragem corporum & armorum, per horrentem infeſtis mucronibus tellurem, fiduciam ſuis, terrorem hoſtibus oculis, linguâ, manu circumferens, irritam aggredienti calliditatem luctuoſamque fecit audaciam! Quàm beneficus ac ſalutaris, ut LUDOVICO hâc etiam parte ſimilis eſſet, poſt victoriam apparuit hoſtibus, quos ſaucios à ſuis in incendio relictos, ab hoſte flammis ereptos, primos victoriæ ſuæ gratulatores habuit, & ab ululatibus miſeris ad fauſtos lætoſque plauſus ttaduxit, minùs de vitâ ſecuros, niſi victi ac deſerti fuiſſent! Atque ut CONTII juventus vel exercitatiſſimæ ſenectuti

par

par esse intelligatur, hunc in annum videntur casus omnes bellorum deditâ operâ convenisse, superandi montes, trajicienda flumina, perrumpenda munimenta, obsidiones, pugnæ : supererat etiam unum, quod magnis animis ultimum semper ediscendum est ; quod tamen si ignoretur, non possit esse omni laude cumulatus bellator; quonam pacto integrâ gloriâ abscedendum sit, differendaque immatura victoria : id eum quoque edoceri contigit, ne quid ipsi ex Condæo aut ex Turennio deesset. In Te verò, PHILIPPE, ex fecundâ Regibus Familiâ genite, cui quod Tibi paternum, quod fraternum, quod ab Henrico Magno avitum est, legitima hæreditas est adeunda victoriis, in Te exornando fortunam dixerim cum naturâ certasse, cùm & Tibi ad regnandum viam natura aperuerit, & aditum fortuna ideo præcluserit, ut priùs quàm imperares, imperatoriis Te virtutibus instructum esse comprobares.

Fervebant Alpes alacritate Gallorum : in singulis ferme saxis tropæa nostra defigebantur : interim in Flandriâ sustinendum bellum erat, eludendus carpendusque hostis, adversùs multo majorem exercitum coercenda tribus jam incitata obsidiis fortitudo eorum militum, quibus hostem vincere quàm numerare facilius est. Ibi quoque, ubi satis erat si integra permaneret, crevit gloria Gallicæ Gentis. Abstulerat Flandrico exercitui LUDOVICUS & roboris partem & conspectum sui : at, quæ duo validissimi præsidii loco erant, & sui memoriam reliquerat, & eum

D

Ducem, qui efficere maximè poterat, ut abesse LUDOVICUM & hostes & milites sui quàm minimùm sentirent. Is ad res maximas gerendas & ingenio factus, & assiduo studio ac strenuâ exercitatione eruditus, in Europâ nullum ingenti animo theatrum credidit esse Galliâ nostrâ opportunius, quæ semper maximè patuit peregrinæ virtuti. Amplissimis à LUDOVICO beneficiis nuper ornatus, attributa cognitæ fortitudini præmia prudentiæ consiliis remuneravit.

Hactenus, ô LUDOVICE, quantum tibi Galli deberent, senserant satis: quantum reddere conarentur & morbi tui mœror, & gaudium restitutæ sanitatis, & edita in bello facinora tibi abunde declaraverant. Et tamen ut ille splendidus rerum gestarum ordo illustri aliquo fine clauderetur, sparsas antea multis in locis & LUDOVICI & Gallorum mutui amoris significationes unius urbis oppugnatio complexa est. Vix ereptus erat leto LUDOVICUS, ecce jam non sibi, sed suis consulit. Postquam studiosissimam sui Alsatiam à luctu vastitatis & graviore etiam ob REGEM ægrotantem dolore, ad gaudia pacis & magnificentissimæ elegantiæ lusus aspectu suo converterat, nondum confirmatâ valetudine, anni gravissimâ tempestate, suis lætitiam relinquit, sibi assumit labores; Friburgum se confert; ibi inter incommoda convalescit, ex morbi malis inter belli asperitates recreatur; sub frigido ac nebuloso cœlo, in ipsâ uligine, eam præ se fert constantiam, quæ sola apud hostes obstinatos suis omnibus

propugnaculis robuſtior videtur : Galli ab ægritudine recentes, durâ æſtatis militiâ exerciti, renovatis LUDOVICI adventu viribus, duriorem etiam obſidionem fortiter aggrediuntur. Non pugnacis præſidii pertinaciâ, non urbis validæ munitionibus, non ipſo naturæ bello, cùm ſævirent venti & imbres, fluvii exundarent, ſtagnantibus foſſis, convulſiſque pontibus, non ullâ denique malorum vi fracti conciderunt : aquis immerſo corpore, capite cincto flammis hoſtilibus, ita tantùm paludibus exſtantes ut petere & peti poſſent, aut ad victoriam aut ad mortem pariter ruunt, utramque pariter REGIS ſui conſpectu commendatam. Vulnera ſuorum ſua LUDOVICUS exiſtimat ; ſedulò injicit gloriæ ſuæ moras, ut minùs cruenta ſit ; ſuos audaciâ ferventes vincere jubet ſeriùs, ut ſuperſint plures qui victoriæ bonis gaudeant : Quo majorem ſuorum curam REX ſuſcipit, eò magis eam ipſi abjiciunt ; is locus maximè placet, qui morti proximus eſt. Hanc in te indolem jam antea perſpectam, illuſtriorem fecit tibi præclarum, nobis acerbum vulnus tuum, ô Subiſi, qui in infeſtiſſimam ſtationem officii tui ratione adductus, fruſtra commonitus ut cautior eſſe velles, dum in ipſo veſtigio ſtas impavidus, militum periculum partiendo levans, ictu gravi percuſſus, cruentum fortitudinis tuæ teſtimonium ad REGEM tuum in caſtra retuliſti ; & à REGE ſuaviſſimum lenimentum doloris ipſius alloquio & glorioſâ tibi ſollicitudine accepiſti. Et cepit quidem patientiæ ſuæ fructum LUDOVICUS ingenio

ſuo maximè expetendum, ut parcere victis ſibi liceret. Laborioſæ obſidionis tædio non exacerbatus, venientem ad ſe Præfectum urbis eo vultu excipit, quo ſolet ſuos, virtutis vel inhoſte laudator.

Ecquis jam notior eſt aut ſuo populo REX, aut REGI ſuo populus, quàm tu nobis, REX OPTIME, nos Tibi. Ut in pace jampridem, nuper in bello Tibi nos cariſſimos eſſe cognovimus; ſic Te nihil eſſe nobis carius, per varias æſtatis hujuſce vices ſentire Te maximè demonſtraſti. Erit apud futuras ætates honorifica Tibi nobiſque contentio, majores à nobis amores meritus ne ſis an conſecutus. O florentem & invictum tanto ſuorum ſtudio REGEM! O nos REGE noſtro felices, etiam ſpe poſterâ fortunatos, qui ex SERENISSIMI DELPHINI connubiò propagandam longiùs LUDOVICI virtutum hæreditatem proſpicimus! Nunc quoniam æſtatis præteritæ lux, quæ tot & belli & lætitiæ flammis effulſit, in placidam ſerenitatem REGIS ad nos reditu converſa eſt, deterſò tandem ſudore, hanc hiemem quaſi frigidam ardentiſſimæ diei veſperam jucundè agamus: ac dum LUDOVICUS in Galliæ complexu à belli laboribus conquieſcit; nos quoque & REGIS noſtri, & quæ cum fatis ipſius conjuncta eſt, gloriæ ac victoriæ jam compotes, in ejus ergà nos caritate conquieſcamus.

CUM PERMISSU. Die decimâ-nonâ menſis Decembris. anno 1744.
FEYDEAU DE MARVILLE.